

prius indicatam cap. 10. v. 10. hæc eue-  
nerunt. *Vniuersa terra*: Synecdoche, pro  
homines vbique terrarum. *Vnius labij*, id  
est, sermonis: metonymia instrumenti  
pro effectu, vsitata Scripturæ, Psal. 12. 3.  
4. & 140. 4. & c. *Et eorundem verborum*, id  
est, idiomatis & pronuntiationis. Erat  
in terris non nisi vna lingua, vnum i-  
dioma, vnaque dialectus hominibus nota  
& vsitata ante dispersionem. Hactenus  
quidem longe lateque habitabant po-  
steri Noach diuisione spontanea. Sed  
manebat adhuc populus vnus: quia in-  
ter omnes erat linguæ vnitas. Scimus  
vero, etiam hodie pro vno populo cen-  
feri, qui vna vtuntur lingua. Et inter po-  
pulos nullum est discrimen apertius,  
quod etiam affectus, ingenia & motes  
diuersos in diuersis efficit, quam linguæ  
diuersitas. Ex hac enim æmulationes,  
dissensiones, lites, & distractiones ani-  
morum in Ecclesia & Republica fere  
existunt. Hæc conuersationem, com-  
mercia, & communicationem consiliorum  
inter homines impedit. Linguæ vnitas  
contra ingens est beneficium: quia lin-  
gua index animi, exponens aliis animi  
tenfa: Vnitas linguæ est amicitie & pa-  
cis vinculum, socians animos, commer-  
cia & contractus, & c. Hoc vnitatis be-  
neficium Deus seruauerat in primo  
mundo per annos 1656. in altero etiam  
post diluuium tantisper, dum temeraria  
hominum audacia Deo non fieret into-  
lerabilis, vt linguæ vnus in plures con-  
fusione & hominum per vniuersum or-  
bem hætenus inhabitatum dispersio-  
ne quasi quodam exilio multate coge-  
retur.

Porro primum illud labium fuisse  
Hebræum, quod ante diluuium ex Pa-  
radiso ab Adam ad Noach vsque fuerat  
seruatum, & post diluuium ex familia  
Noach ad omnes eius nepotes & po-  
steros propagatum, doctissimi Hebrai  
tum aliis documentis, tum eo etiam  
probant, quod nomina propria perso-

narum pleraque Hebræam originem sa-  
piunt. Id ipsum probat Augustinus de  
C. D. lib. 16. cap. 11. Nec digna est quæ  
refellatur fabula Herodoti de Psam-  
metistho duos alente pueros inter pe-  
cora ad cognoscendum, si qua vox pri-  
ma eis erumperet: qui bimatu exacto  
exclamare cœperint Beccus, quod cum  
Rex lingua Phrygia panem significare  
comperisset, inde Phrygum idioma pri-  
mum & naturale homini esse iudicauit.  
Atqui Beck etiam Germanis sonat pi-  
storem, peluim, maxillam. Fuit ergo is  
puerorum sonus inarticulatus, quem à  
capris nutricibus hauserant. Est quidem  
potentia loquendi hominis propria: lo-  
quela vero & sermo sic naturalis non  
est, vt absque sonorum & verborum  
auditu & intelligentia in actum dedu-  
ci queat. Audientes enim sonos articu-  
latis, articulate loqui discimus. Ideo  
surdi nati loqui nesciunt, sed muti ma-  
nent, quia sonos, quos imitentur, non  
audiunt. Solus Adam & Heua loque-  
bantur natura, quia Deus cum ipsa vita  
etiam sermonis vsum adultis indiderat.  
Eaque lingua hominum fuit prima, qua  
omnes ante diluuium & Noach cum  
suis in arca, & deinceps vsque ad confu-  
sionem vsi fuerunt, quæque post con-  
fusionem factam, in sola familia Peleg  
permanit.

Quando sit facta labij vnus confu-  
sio, obscurius videtur. In annos Peleg  
incidisse, prioris capituli indicio constat.  
Diuisio enim, de qua ibi, non de terræ  
distributione à Noach facta inter tres  
filios, sed de ista linguarum diuisione  
accipi debet: quæ ideo nunc memora-  
tur, vt qualis illa fuerit terræ diuisio in-  
telligatur. Sed quæritur, in natalem, an  
in emortualem annum Peleg, an vero  
in medium eius curriculum incidit?  
Si in emortualem annum incurrisse sta-  
tuatur, quod sentiunt Hebræi: fuit is  
annus 340. à diluuiio, decimus nonus  
ante obitum Noach. Iuxta hanc senten-  
tiam.

*Herod. lib. 2.*

*Diuisio lin-  
guarum &  
populorum  
quando coe-  
tigit.*

*Diuisio lin-  
guarum an  
in emortua-  
lem annum  
Peleg inci-  
derit.*

tiam.

*brae lin-  
a anti-  
uitas.*